



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Chronologia Christiana

Heripoli, 1694

Sæculum III. Ab Anno 200. ad 300.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65495](#)

10 SÆCULUM III.
redactus fit. An. 175. * Smyrna Urbs
Asiac terræ concussione obruta 182. *
Ingens per totam Italiam Pestilentia,
quæ Romam ita depopulata est , ut
diebus singulis duo corporum millia
humarentur 189.* Templū Pacis cum
magna Romæ parte & cum omnibus
spoliis templi Hierosolymitani à Ve-
spasiano ibidem repositis in cineres re-
dactum est.



SÆCULUM III.

AB ANNO 200. ad 300.

§ 1. Romani Pontifices.

XVI. **S**ZEPHYRINUS Natione
Romanus ex Patre Abun-
do Electus A. Chr. 203.
Martyrio coronatus A.C. 221. die. 26.
Aug. Ecclesiam fortiter defendit ad-
versus quatuor Imperatores quos su-
stinuit , *Septimum Severum, Antonium Caracallam, Macrinum & Antoninum, Heliogabalum.* Item contra
hæreticos *Montanistos, & Terullianū à Pro-*

AB ANNO 200. AD 300.

31

Proclo seductum. Constituit ut omnes Christiani annorum duodecim Eucharistiam in Die Paschatis sumerent.

XVII. S. CALIXTUS I. Roman.

Electus A. 221. Martyrio coronatus An. 226. D. 14. Octob. Ædificavit permissu *Alexandri Imp.* Templum B. M. Virginis trans Tyberim in eodem loco hospitij illius publici, in quo nascente in terris Christo, fons olei purissimi scaturivit, Christum Significans.

Polydor: L. 5. c. 6 Jejunia etiam 4. temporum ab Apostolis tradita Decreto sancivit, ut in ijs ordines sacri con ferrentur.

XVIII. S. URBANUS I. Natione Romanus electus A. 226. Martyrio coronatus A. C. 233. die. 25. May. Hic Urbanus præcipuas Romanorum familias ad Christum convertit, quos inter Cæciliam, Tiburtium, Valerium & Maximum. Hoc tempore cœpit primùm Romana Ecclesia prædia Possidere, de quibus S. Urbanus Clericis & Notariis, qui gesta Martyrum conscribebant sumptus deputabat,

antea

antea enim Ecclesia vivebat ad instar Apostolorum pecunias tantummodo recipiens pro egenis. Ceperunt sub hoc Pontifice vasa fieri Argentea & aurea pro Sacrificio.

XIX. S. PONTIANUS Romanus electus A. 233. Martyrio coronatus A. 237. die 19. Novembr: cum *Alexandri* Imper: jussu in *Sardiniam* relegatus fuisset, Martyrium tandem sub *Maximino* consecutus est.

XX. S. ANTHONIUS Græcus Martyr, electus A. 238. & vix Mensem sedit ac in mercedem boni quod fecerat, Potificatum suscipiendo, à Maximino Martyrio coronatus est eodem an: 238. die 3. Jan: Verè qui illis sæculis *Episcopatum desideravit, bonum opus desideravit* juxta *Apost. 1. Tim. 3,* non enim alia hujus laboris merces sperabatur & dabatur quam Martyriū.

XXI. S. FABIANUS Romanus admirabiliter electus A. 238. conspecta supra caput ejus Columbā *Baron.* A. 238. n. 6. sub hoc *Philippus Arabs* cum filio *Philippeo Primus Imperatorum*

rum Christianus Baptizatus est, ita
Euseb. 6. cap. 24. gazas Imperatori-
astradidit *Fabiano*, qui id circa à *Decio*.
Imp: interfici jussus ex odio Christi A.
253. die 20. Jan: Ordinavit ut omni
anno in Cœna Domini consecraretur
Chryisma. Matrimonia prohibuit intra
quartum consanguinitatis gradum.

XXII. S. CORNELIUS Roma-
nus Martyr: Electus A. 253. cum ferè
anno integro vacasset sedes ob *Decij*
persecutionem. Martyr coronatus
A. 255. die 14. Sept: Hujus Papæ in-
signem virtutem prædicat *Cyprianus*.
Cujus festum (licet sexennio modò
post objérit.) In eundem diem festum
Cornelij incidit & celebratur, ut simul
conjunctis honoribus à nobis colan-
tur in cœlis, qui conjunctissimi erant
amoribus & familiaritate in terris.

XXIII. S. LUCIUS Roman: ele-
ctus an. 255. Martyrio affectus Ro-
mæ an. 257. 2. Mart. Decrevit ut E-
pis copus duos ubique Presbyteros ac
tres Diaconos haberet comites, qui te-
stimonium Ecclesiæ redderent adver-
sus inæ reticorum calumnias. XXIV

XXIV. S. STEPHANUS I. Roman.
electus an. 257. Martyrio coronatus
an. 260. die 2. Aug. Visu simul & ba-
ptismo donavit *Lucillam cæcam Nemesis* Tribuni filiam. Deus in Tem-
plum *Martis* suâ effecit oratione ut to-
nitruis fulminibusque dirupto Tem-
plo omnes huc, illuc, diffugerent. Rur-
sum autem quæsusitus in Crypta ad Altare
missam celebrans inventus est,
quam ubi constanter perfecit, in sua
demum fide obtruncatus est.

XXV. S. SYXTIUS II. Græcus
Atheniensis M. Electus A. 260. Mar-
tyrio affectus A. 261. die 6. Aug. Phi-
losophus fuit insignis Græciæ, sed ce-
lebrior post conversionem. Idem ille
est, ad quem S. Laurentius, cum ple-
nendus educeretur, conversus dixit:
quo progrederis sine filio Pater? & Va-
ticinium accepit de vita Paulò post
Martyrio consummandâ.

XXVI. S. DIONYSIUS I. Græ-
cus. Electus A. 261. obiit 272. die 26.
Decembr: Variant Autores. *Gene-*
brardus Martyrem appellat, sed *Mar-*
tyro.

AB ANNO 200. AD 300.

35

Tyrologium Romanum Confessorem. Ab
hoc Ecclesiæ, Cœmeteria, & diœceses
restauratæ, post eam, quam persecutio
intulerat, confusionem.

XXVII. S. FELIX I. Romanus, e-
lect: An. 272. Martyrio coronatus A.
275. d. 30. Junij sub *Aureliano* moven-
te IX. persecutionem. Constituit sub
præcepto (jam enim id fieri consue-
verat, sed non ex præcepto) ut missa
super SS. Martyrum sepulchra, aut re-
liquias celebretur.

XXVIII. EUTYCHIANUS Tuscus
elect: An. 275. Martyrio affectus An.
283. d. 8. Dec: postquam ipse propriis
suis manibus 342. Martyres tumulo
mandasset. Statuit ut secundum Apo-
stolicas traditiones super altare bene-
dicerentur racemi, aliique, terræ fru-
ctus, idque, ut credibile est, ad corri-
gendum errorem Manichæorum, qui
illos à malo principio ortos esse do-
cebant.

XXIX. S. CAJUS five Gajus Dal-
mata consanguineus Diocletiani, à quo
etiam palmam martyrij accepit. An.

296.

296, die 22. April: ob *Susannam* ex *Gabinio* fratre neptem, quæ *Galerij Maximiniani* connubium à *Diocletiano* exceptum recusârat. Ditavit suos nepotes & neptes non aliis divitiis, quam Martyrio: hoc Sanctissimo nepotis mō **Celeberrimus.**

XXX. S. MARCELLINUS Romanus, quem aliqui perperam cum *Marcello* ejus successore confundunt, Martyrio affectus An. 304. die 26. Aprilis. Hic à *Diocletiano* compulsus incensum posuit Idolis, postea facta Synodo in *Campania* à 180. Episcopis, cinere aspersus caput & cilicio indutus Pœnitentiam egit, sed renuente Synodo Pontificem summum judicare, ipse ad *Diocletianum* se conferens, & audacter exprobrans impietatem, strenue capitis obtruncationem pro fide toleravit, unà cum *Claudio*, *Cyrino*, & *Antonino*.

§. 2. Romani Imperatores.

XXII. ANTONIUS GARACALLA

AB ANNO 200. AD 300.

37

LA defuncto Patre Septimio Severo Imperium occupavit unà cum fratre **Getá** quem Paulò post in matris gremio perimi jussit, nam rectè **SENECA** nec regna Socium ferre nec iudea sciunt. Magiæ deditus: operâ **Macrini à Marciiano** Centurione confossum Anno C. 219 æt. 29. SYMB: ejus *Omnis in ferro Salus* SYMB: GETÆ *Nulla Fides Regni.*

XXIII. OPILIUS MACRINIUS unà cum filio **Diodumeno** conciliatis militum animis Imperator creatur, sed non prius annum unum & menses duos imperârunt, quâm eorum crudelitate exacerbati milites necem utrique intulerunt A.C. 220. SYMB. *Ferendum ac sperandum.*

XXIV. HELIOGABALIUS qui & Avitus dictus Item El'AGABALUS vel MARCUS AURELIUS ANTONINUS **Cara-** **callæ** filius, ingentibus vitiis imperium dedecoravit, Senatui populoq; execrandus in Latrinâ cum matre occisus in Tiberim mergitur A.C. 224. ætat. 18. SYMB: *Suus quisq; heres optimus.*

XXV. AURELIUS SEVERUS
ALE-

ALEXANDER miro omnium consensu acclamatus est Imperator: Princeps strenuus & pius, inter Christianos enutritus, illud in operibus publicis scribi jussit *quod tibi non vis fieri alteri ne feceris*. Victor fuit ARTAXERXIS PERSÆ Moguntiæ Maximini jussu cum matre MAMMEA interimitur. optimè affectus erat Christianis, nisi à Domitio Vlpiano acerrimo hoste Christianorum in contraria seductus fuisset. A. C. 237. SYMB: *Quod tibi, hoc alteri.*

XXVI. JULIUS MAXIMINUS Thrax qui olim pastor fuerat fit Imperator, sed nondum redux è Germania in Italiam, cum frustra Aquileiam ob sideret, à militibus obtruncatur unà cum filio A. 240. SYMB: *quò major, hoc laboriosior*. Imperator fuit ferocissimus, qui sextam persecutionem concitavit adversus fideles Christi.

XXVII. PUIPIENUS MAXIMUS & CÆLIUS BALBINUS cum Imperij gubernacula invitis militibus sciperent vix regnare ceperunt, & mox

VIV C.

AB ANNO 200. AD 300. 39

vivere desierunt, à militibus occisi,
SYMB: PUPENI: qui timetur timet: Et
SYMB: BALBINI: bonis nocet, qui malis
parcit.

XXVIII. M. ANTONIUS GORDIANUS Princeps virtuosus, fraude
Philippi & ambitione (qui erat Imperij socius) permilites intentorio ob-
truncatus est A. Chr. 246. etatis 23.
SYMB: Ultorem ueliscitur ulti. & ali-
ud: omnis vita supplicium. Vox illius
frequens, miser est Imperator apud quem
vera iacentur.

XXIX. PHILIPPUS ARABS tam
met si scelere Imperium acceperit, pœ-
nitentiâ tamen optimus Imperator ef-
fectus unâ cum filio suo *Philippo* quem
Augustum renuntiavit. Fidem Chri-
stianam ex Imperatoribus Romanis
primus professus est, & baptizatus A.
249. Luxuriæ Seminaria sustulit. In-
signis obedientiæ dedit exemplum
quando jubente **FABIANO** in Ecclesi-
am non est intromissus, priusquam se
humiliter in ordine Pœnitentium con-
stituisset. Veronæ demum occisus
Anno

Anno 253. SYMB: hujus *Multa nec apta.*

XXX. DECIUS I. TROJANUS
sævissimus in Christianos : unà cum
filio in prælio commisso ex insidiis &
proditione *Ubij Galli* occiditur in bel-
lo Gothicō 254. SYMB: *Apex Magistra-
tus Autoritas.* Princeps in omnibus ma-
lus, sed prudens in armis.

XXXI. C. UBIUS TRIBONIA-
NUS GALLUS cum filio suo *Volusia-
no* imperium invadit, sed ambo ab ~~E-~~
~~Emiliano~~ perempti A.C. 257. SYMB: *Ne-
mo amicus, idem, & adulator.* Successit
~~Æmilianus~~, sed quarto post mense &
ipse à militibus trucidatur: SYMB: ejus:
Non gens; sed mens.

XXXII. VALERIANUS & GAL-
LIENUS ejus filius; ille septuagenari-
rus à SAPORE R E G E Persarum captus
servire debuit loco Scabelli in equo
ascendendo, & tandem excoriatus &
sale conditus vitam finiit: SYMB: *non
acerba sed blanda.* Gallienus autem im-
perio neglecto se totum voluptatibus
mancipavit, huic triginta tyranni Im-
perium

AB ANNO 200. AD 300. 41

perium, & *Claudius Flavins* per *Cecropiam* vitam abstulit an. 269. Ut erque osor Christianorum SYMB: *Gallieni*: propè ad summum, propè ad exitum.

XXXIII. CLAUDIUS I. obChristianos dirè vexatos peste corripitur A.C. 271. SYMB: *Rex viva Lex. Quintilius Claudij* frater die Regni 17. à militibus occiditur.

XXXIV. DOMITIUS VALERIUS AURELIANUS obscuris parentibus natus *Syrmij* Reginam Orientis *Zenobiam* ante currum suum in triumphū duxit: brachio per miraculum rigescente, edicto contra Christianos subscribere prohibitus fuit: Persecutio- nis tamen auctor fuit, & Orientem re- cepto SOLI templum condidit: à suis interfectus A. 278. SYMB: *Quò major è placabilior*

XXXV. M. CLAUDIUS TACI- TUS mense regiminis sexto moritur: SYMB: *Sibi bonus, alius malus.*

XXXVI. ANNIUS FLORIANUS Regnum quasi Jure hæreditario invadens Tharsis à suis trucidatur post Men-

C fes

fes duos A. 279. SYMB: *Injuria unius, mina multorum.*

XXXVII. AURELIUS PROBUS
Gallias liberavit, tyrannos delevit &
Germanorum 400000. profligavit.
SYMB: *Prostipe labor.*

XXXVIII. AURELIUS CARUS
cum *Carino* & *Numeriano* filijs obijt A.
285. SYMB: *NUMERIANI*: *Cedendum
multitudini.*

XXXIX. DIOCLETIANUS AL-
LUS VALER: cognomento *Jovis*, as-
sumpsit in throni socium *Valer: maxi-*
mianū cognomento *Herculem*, ejusdem
cum socio crudelitatis in Christianos,
Primus fuit qui se ut DEUM adorari
imperavit. SYMB: ejus: *Nihil difficilius
quam benè imperare* SYMB: *MAXIMINI-*
ANI: *tutum silentij premium*, hic laqueo
tandem sibi vitam finivit, & *Diocletia-*
nus privatus contabuit.

§. 3. Concilia.

Tria prima Concilia Carthaginensis A. 258. de rebaptiz andis ijs qui
in hereticis fuerant baptizati, Reproba-
ta.

AB ANNO 200. AD 200.

49

ta. Concil: Antiochen: I. 265. & II. 273
contra Paulum Samosatenum capitalem
hostem Divinitatis JESU CHRISTI.

§. 4. Schismata.

NOvianus à Novato hæresiarcha
impulsus CORNEL: PONTIF: obsti-
tit, & scidit Ecclesiā sparsis calumniis
in CORNELIUM, quæ brevi dispulsa
sunt. Alterum Schisma conflavit feli-
cissimus contra S. Cyprian: eodem tem-
pore, docens admittendos esse quo-
vis lapsos ad Ecclesiam, etiam absq;
ulla pœnitentia.

§. 5. Propagationes Fidei.

Gallia sub Severo Imper. plenius.
Arabia per Origenem, Scotia sub
Donald Rege. Scandia sive Gothia, Sue-
tia, Norvegia. Philipp Imp: Pater &
Filius sacra Christiana suscipiunt.

§. 6. Persecutiones Fidei.

V. Everian. 204. Passus in ea S. Irenaeus VI. Maximini 237. VII.
Decij 253. continuata à Gallo & Volu-
fiano 254. VIII. Gallieni & Valeriani in

qua passi SS. Sixtus Papa, Laurentius,
Cyprianus 261. IX. Claudij Imp. 270.
& mox Aureliani X. Diocletiani & Ma-
ximiniani eaque atrocissima, quæ tam
dira fuit ut spatio 30. dier. ad 22. mil-
lia Christianorum occubuerint; Neq;
per illud tempus integrum fuit fidelis-
bus quicquam vendere vel emere nisi
thus prius obtulissent idolis quæ dedi-
tâ operâ iis in locis statuebantur ubi
ementium & vendētium conventus fie-
bant, & erant satellites destinati qui
neminem finebant molere aquamve
haurire nisi prius idolis sacrificasset.
viginti Christianorum millia Nico-
mediæ intra Ecclesiam pro Christo
ipsa natali Christi nocte concreman-
tur. Urbs quoq; Christiana in Phrygia
tota pro Christo patitur & igne con-
crematur. à Magistratibus autem tot
ianienas pertæsis, milites Christiani
addicebantur operæ collocandæ in
thermis *Diocletiani* Romæ, & *Maxi-
miani* Carthagine extruendis? quibus
perfectis nihilominus capite damnati
sunt.

§. 7. SANZ

§. 7. Sanctitate Clari.

S Leonides Origenis Pater 204. Ss. Perpetua & Felicitas 205. S. Barbara 250. S. Cecilia 232. S. Margarita 250. S. Apollonia 252. S. Christophorus 254. S. Agatha 254. S. Laurentius 261. S. Triphonia Vxor Decij 254. S. Sebastianus 289. S. Serena Vxor Diocletiani 290. S. Georgius 290. S. Gabinius Pater S. Susanna & gnatus Diocletiani.

§. 8. Hæretici.

Tertullianistæ. Symmachiani seu Patritiani. Aræbici. Agrippiniani seu rebaptizantes. Homonastæ. Origenistæ. Origeniani cognominati turpes. Metaneismonitæ. Esgesaitæ, seu Samæi. Valesij seu Eunuchi. Novatiani seu Novatianenses, aliæs Cathari & Rebaptizant: Hydroparastatæ seu Aquarij. Noetiani seu Sabelliani aut Patripassiani. Angelici Apostolici aliæs Apotacticæ. Chiliaстæ seu Millenarij. Paulianistæ seu Samosateni. Duo Manetis Præcursoræ, Scythianus & Buddas. Manichæi qui & Acuani, Mætari, Catharistæ & Macariani. Apocaritæ, Dichartitæ & Brachitæ Hieracitæ. Abstinentes.

§. 9. Initia Religiosor. Ord.

S Paulus I Eremita, illorum unus, qui in persecutione Decij fugerant in solitudinem, ansam indè arripuit vitam Eremiticam amplectendi, quam

cœpit an. ætat: Chr. 253. coluitq; ad
an. ætat: 113. Chr: 343. quo ultimo
anno *Paulum* invisit *Antonius Magnus*,
qui *Paulo* supersuit annis 15.

§. 10. Initia Regn. & Princ.

ARTAXERXES Persarum imperi-
um restituit. *Quadi* & *Sarmata* per
GALLIENI ignaviam occupant *Panno-*
niam. *ZENOBLA* *Syriam* & *Phœniciam*.
SAPORES cœditur, cuius locum *ODE-*
NATUS *Palinyrænorum Rex* occupat.
Suevi, *Sarmata*, *Marcomanni*, *Geta*,
Alemanni & quinque trans tygrim
Provinciæ Romano Imp: subiectæ.

§. 11. Instit. Saceror. Rituum.

Ritus sepeliendi &c. in *Synopsi*
Pontificum.

§. 12. Nova Reperta & Na- tales Urbium.

INSTITUTA Annorum numeratio per
annos Imperij *Diocletiani*: quæ ad
annū 332. duravit. *Philippolis* in Thra-
cia condita a *Philippis* Imp. *Aurelia*
in Gallia, ab *Aureliano* Imp. 273. Ni-
copo-

AB ANNO 200. AD 300. 49

ēopolis amplificata in Palæstina , & sic
appellata : alias *Emaus* dicta.

§. 13. Scriptores Sacri.

A Mmonius Origenes. S. Julius Afr.
Minutius felix. D. Hyppolitus.
E D. Cyprianus E. D. Cornelius P. D.
Potinus Diae. D. Gregorius Thaumaturgus.
E. D. Dionysius Alex: E. D. Zeno. E.
Dorotheus Tyrius. S. D. Cyrus. D. Pio-
rius D. Victorinus Petav. E. Arnobius
S. Methodius. S. Laetantius. S.

§. 14. Natur. Discipl. Perit.

I Æmilius. Papianus. Catus & Marcel-
lus. Ulpianus Pomponius. Gordianus
Sabinus. Hermogenes. Africanus. Modestus.
Celsus. Julius. Paulus. Triphonius.
Venatus. Alphenus. Florentinus. Callistratus.
Venulus. Severus. Papiniani quoniam
Auditores, è quorum fragmentis Pan-
dectæ Justinianæ sunt contextæ. Med: Q.
Serenus Sammonicus. Philos. Alexander
Aphrodis. Plotinus. Ammonius. Amelius.
Longinus Malcus cognomento Porphyrius.
Jamblicus. Ædesius. philol. Censorinus.
H. Dio Cassius. Nicæus Herodianus.
Vulcatius Gallicanus. P. Oppianus. Ne-
mesianus. Olympius.

C 4

§. 15.

§.15. Sirategi & Pralia.

MAuritius Dux Thebææ Legionis, posteâ Martyr.

§.16. Universitates & Schola Publicæ.

SCholæ, Philosophica & Theologica Cæsareæ per Pamphilium Martyrem instituta.

**§.17. Res Memorabiles
& Eventus Tragici.**

ORigenes concinnat Hexapla & Octapla id est seriem octo columnarum cum totidem versionibus scripturæ. in prima & secunda erant duo textus Hebræi. In tertia Aquilæ versio. In quarta Symmachii in quinta LXX. interpretum. In sexta Theodosionis; in septima & octava, sua.*

Post hæc autem prodit S. Hieronymi ex LXX. interpretibus in latinam linguam scripturæ sacræ versio, quæ nomen vulgatæ versionis obtinuit, quam omnis Christianitas tenuit, hodieque observat universalis & Catholica Ecclesia. *

Sever.

Severus Imperator in Angliam belum movens ad vindicandas ab excursionibus barbarorum Provincias Romanas à mari uno ad alterum extruxit murum 32. millium passuum A. 208.* Diluvium in Africa.* Ignes nocturni *Carthaginæ*, Eclipsis solis horifica. A. 203.* Terræ motus usque ad eò horribilis, ut dehiscente terra civitates multæ cum populis absorptæ A. 243. * Annus Chr. 249. fuit Romæ fundatæ Millesimus solenniter celebratus.* *Roma* magna pars incensa nocturnis ignibus 249. * Itemque Amphitheatrum A. 254. Nec non templum Dianæ Ephesinæ.* Inundationes & Tenebræ.* Ingens Pestis Provincias plurimas depopulatur per 10. annos, eodem fere progressu quem habuit persecutio Imp: in Christianos per 10. fere annos. Baron: circa annū 255.*

Ephesi septem juvenes persecutio nem *Decij* fugientes in antrum occluso à persecutoribus ostio ibidem obdormierunt, qui postmodum tempore *Theodosij* Imp: in saeculo quinto reclu-

SÆCULUM III.

si unam noctem se dormisse credentes
apparuerunt, admirantes sacra Chri-
stiana jam publica ubique esse, sed &
ipſi plus aliis omnibus admirationi.



SÆCULUM IV.

AB ANNO 300. AD 400.

§. I. Romani Pontifices.

XXXI. **S**MARCELLUS I. RO-
rexit Ecclesiam annis 5,
à Maxentio compulſ in-
ſtabulo equos curare, ubi laboribus &
inediā consumptus, ac cilicio cooper-
tus obiit A. 309. die 26. Jan:

XXXII. **S**EUSEBIUS Græcus.
Electus A. 309. obiit Confessor A. 311.
ad Pontificatus honores supremos &
excellentissimos nihil illi deesse visum
quam Martyrij corona cui ferendæ
aptissimus & paratissimus erat, nec de-
erat nisi tyrannus. Jam enim tunc *Con-*
stantini Magni majestas & metus fe-
rociam tyrannorum & *Maxentij* præ-
cipue frænare cœperat,

XXXIII.